

Odescalco moderno Archiepiscopo Mediolani, ac postremo, tam in voce quam in scriptis R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, Eminentissimus, et Reverendissimus D. Cardinalis Ptolomæus infrascripta dubia declaranda proposuit, vide licet.

« Primum. An Capitulo Collegiæ S. Joannis Baptistæ Modoetiæ liceat Coronam Ferream, de qua agitur, retinere intus Crucem, in qua fuit reposita insimul cum aliis reliquiis, et publicæ Venerationi exponere? et quatenus negative.

« Secundum. An saltem eidem Capitulo liceat dictam Coronam Ferream exponere in altari Majori, et processionaliter deferre, prout olim practicabatur, in casu, etc.

« Et sacra eadem Congregatio, re mature discussa, visisque eorum juribus, respondendum censuit:

« Ad primum affirmative.

« Ad secundum provisum in primo, et ita declaravit die septimo Aug. 1717.

« Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 10 ejusdem mensis, et anni 1717 (1). »

(99. Nomina Sanctorum sepulchris impressa propria censi debent. Benedicti XIV, in Appendice Const. incip. *Soror Imalda*, § 7. (100. Nomina quædam appellativa, *Justi*, videlicet, *Candidi*, *Victoris*, et similia, Sanctis sine proprio nomine repertis, ignotis, sive baptizatis, quorum corpora a Catacumbis, seu Cæmeteriis extrahuntur, recte imponuntur. Idem ibid, § 3.

ADDITIONES EX EDITIOE BARBIELLINIANA.

(101. Pauca supra adnotavimus, quæ ut et ab Auctoris textu, et ab antiquioribus aliorum additamentis secernerentur, quatuor inclusa asteriscis lector videbit. Alia tamen majoris momenti huc reservavimus.

(102. Solusigitur Deus adorandus; nihil tamen impedit quominus et sanctis pro eorum meritis, et dignitate cultum a latria diversum præstemus. Smyrnenses Judæorum impulsu Proconsulem Romanum rogarunt, ne S. Polycarpi cadaver Christianis traderet; hi enim magistro suo crucifixo relicto hunc deinceps colere cœpissent. « Stulti (ad hæc inquiebat Smyrnensis Ecclesia apud Eusebium, lib. 4, cap. 15), qui ignorarent, nos nec Christum umquam posse relinquere... nec alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium Dei adoramus, martyres vero tanquam discipulos, et imitatores Domini merito amore prosequimur. » In eandem sententiam Diaconus, qui cum S. Fructuoso Episcopo martyrium perferebat, instanti Judici: « Numquid et tu Fructuosum colis? » respondisse perhibetur a S. Augustino, serm. 273: « Ego non colo Fructuosum, sed Deum colo, quem colit et Fructuosus.

(1) Hoc S. C. decretum Modoetia cum Card. Jo. Baptistæ Ptolemæi curis, tum vero maxime debet, Justo Fontanini dissertationi de *Corona Ferrea Longobardorum* ipso illo anno 1717 Romæ excusa, et

Quo modo nos admonuit, ut Martyres honoremus, et cum Martyribus Deum colamus. » Nempe, ut aiebat S. Theodorus Studita Antirrh. 1, apud Sirmondum To. I, Paris. Edit., pag. 82: « Latriæ adoratio una est, eaque in Deo solo; in aliis autem aliæ. Nam et reges, et principes a nobis adorantur, sed non ut Dii, et quamvis unius sit formæ adoratio, at non unius formæ intelligentia. Homines enim sunt, honorisque dumtaxat cultus illis impenditur, aut propter legem, aut propter metum, aut propter affectum. Quare qui adorationis discrimen nosti, qua per effigies prototypa honorantur, tribue hanc quidem ut propriam, proprie, et privatim soli Deitati: reliquas vero secundum analogiam eorum, quorum sunt exempla, Deiparæ ut Deiparæ, Sanctorum ut Sanctorum. » Alia de Sanctorum cultu dabit Trombellius cum in opere elaboratissimo de *cultu Sanctorum*, tum in ejus vindicationibus, quas Kieslingio opposuit.

(103. Neque vero inanis est hujusmodi cultus, sed magnæ nobis utilitatis. Nam ut in actis sinceris Sancti Saturnini habemus a Ruinartio editis, « Vigiliis, Hymnis, ac Sacramentis etiam solemnibus (Sanctos) honoramus, ut eorum patrocinia, atque suffragia in conspectu Domini orando quæramus, honorando mereamur. » Hinc S. Theodotus Martyr apud Bollandum ad diem 18 Maji p. 163. flentes Christianos, qui eum ad supplicii locum sequebantur, solabatur, ad glorificandum Christum Jesum, qui ipsi victoriam dedisset, hortatus: « Deinceps enim (inquiens,) in cœlis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor. » Neque hæc in rem mittenda, quibus celeberrimorum Scyllitanorum Martyrum acta concluduntur, verba: « Consummati sunt Christi Martyres mense Julio, et intercedunt pro nobis ad Dominum nostrum Jesum Christum. »

(104. Etsi tamen Sancti nonnumquam ex suo ipsorum in nos amore, quin invocentur, nobis adjutores sunt, invocari tamen a nobis debent. Nam ut Augustinus ait in Ps. 86, num 24, « Omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. » Atque hujus quidem invocationis innumera suppetunt in veterum libris, et monumentis exempla, ac testimonia. « Non erubescamus, aiebat Ambrosius lib. de viduis, eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere: quia ipsi infirmitates nostras etiam cum vicerint cognoverunt. » Huc spectat Sabbatii titulus apud Fabretti *Inscription. p. 738*, ubi legimus:

*Sabbati Dulcis  
Anima Pete et  
Roga Pro Fratres et  
Sodales Tuos.*

S. C. Patribus decretum edituris opportune oblata. Ea vero dissertatio eodem anno Lipsiæ prodiit apud Georgium Mauricium Weidmanum. (*Edit Barbiell.*)

Damasus quoque Pontifex hæc S. Agnetis titulo inscripsit: *Ut Damasi Precib. Favens Precor Inclyta Martyr*. Alia ex antiquis Sacramentariis proferri possent. Vide illa apud Franc. Antonium Zaccariam in dissert. de Liturgiis. in rebus Theologicis usu tom. 1, sui Thesauri Theologici p. 452. Neque vero (quod Protestantes objiciunt) divinæ gloriæ derogatur, si ad Deum ipsum per Sanctos preces deferamus; aut ratio non suppetit, licet nobis occulta, qua ad Sanctos nostra perferantur vota; « Siquidem, (ut cum S. Gregorio Nazianzeno loquar,) illud persuasus sum, Sanctorum animas res nostras sentire. » sive per Angelos eis orationes nostras deferantur, ut S. Julianus Archiepiscopus censuit Prognost. lib. 2, sive revelatione vel a Deo, vel a Christo servatore ipsis facta, sive aliis modis, de quibus Trombellius dissert. 3, cap. 38.

(105. A primis Ecclesiæ temporibus cultus Confessoribus et Martyribus impensus fuit. Sed Confessorum nomine prisca illa ætas eos tantum designabat qui fidem Christi coram tyranno confessi, et tormentis pro illa fortiter superatis in pace naturalem mortem obibant. Hanc nominis hujus significationem Sanctus Paulinus Nolanus spectavit poemate XIV. de Sancto Felice canens:

*Cœlestem nactus sine sanguine Martyr honorem,  
Nam Confessor obit pœnas non sponte lucratus.*

Martyres et hi reapse habebantur. « Neque enim, » inquit Cyprianus, Baluz. edit. ep. 37, « virtus eorum minor est, quominus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis est, toleraverunt, quidquid tolerari parati, et prompti fuerunt. » Confessores tamen eos maluerunt vocare quam Martyres; Martyrum autem nomen iis solummodo datum, qui vel indicta jam mortis sententia executionem præstolabantur, unde et Martyres *designati* dicebantur; vel cruentum vitæ suæ sacrificium Deo in tormentis offerebant, dicti propterea Martyres *consummati*. Quamquam et illis *consummata Martyris gloria* tribuebatur, quibus, ut ait ibid. Cyprianus, « cum voluntati, et confessioni nominis in carcere, et in vinculis accederet et moriendi terminus. »

(106. Nullis tamen publicis in Ecclesiis quas sanguine, aut certe confessione decorerant, cultus decernebatur, nisi antea Episcopi ex certis indicibus merita uniuscujusque dijudicassent vitamque Martyris, et Passionis acta diligenter exscripta, cum primis autem causam martyrii penitus internovissent. Vide Bencin. diss. 2, de Literis Encyclicis c. 3, § 1, cap. 3, num. 6, seq. In Africana tamen Ecclesia interpositio iudicii ad cultum decernendum non ad Episcopum quemlibet, ut in aliis Ecclesiis, sed ad unum Primatem pertinebat. Porro examine peracto Episcopi in suis quisque Ecclesiis Martyribus sic probatis cultum statuebant impendendum; tuncque Martyres hi solemnibus vocabulo *vindicati* appellabantur.

(107. Post persecutionem sæcula, ac Mar-

tyrum Epochas publicis aliorum etiam Sanctorum cultus in Ecclesia celebrior evasit. Quo tamen præcise tempore coli cœperint, incertum Bellarmino visum fuit de Missa lib. 2, cap. 2, num. 5. Sed Innocentius III, lib. 3, de Myst. Miss. cap. 10, aliique initium eorum cultus ad Sæculum IV referunt. Hoc certe sæculo, ut S. Cæsarium de quo ejus frater S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri, S. Philastrium apud Surium 18 Julii, et S. Meletium homilia a S. Jo. Chrysostomo celebratum omittam; (hæc enim exempla tantum ex particularium quarundam Ecclesiarum in illos pietate profecta sunt) primus, cui inter alios a Martyribus Sanctos publicus in Ecclesia constitutus passim in Occidente fuerit cultus, S. Martinus Turonensis perhibetur; de eo enim vetera Calendaria, et Missales libri agunt; Hilarius deinde Pictaviensis, quem Missale Francorum celebrat. Confer Benedictum XIV. lib. 1, cap. 5. Transiit ad hos *Confessoris* nomen latiore quodam sensu, quam quo olim Martyres a morte in pace sublatis videmus nuncupatos fuisse. Hi enim, ut cum S. Gregorio Magno lib. 3, Dialog. cap. 26, scripsit S. Isidorus Hispalensis, Etymolog. lib. 7, cap. 2: « hostis insidias tolerant, et cunctis carnalibus desideriis renitentes, per hoc, quod se omnipotenti Deo in corde maectaverunt, etiam pacis tempore Martyres facti sunt, qui etiam, si persecutionis tempore exsisterent, Martyres esse potuerunt. » Sed Confessoris nomen illis paulo serius tributum fuit, nec fortasse, si Mazzochium audimus in Kalend. Neapolit. tom. 2, p. 767, nisi Sæculo VIII, quo Allatii Calendarium, et Bedæ Martyrologium S. Leonem M. 11 Aprilis die Confessorem vocarunt.

(108. Quod in Martyribus, idem in Confessoribus actitatum ut nulli ante Ecclesiæ iudicium cultus tribueretur. Constat id ex Agrippinensi Concilio apud Ivonem Decr. p. 3, c. 54, ex Capitulari Caroli M. aliisque monumentis. Quare Episcopi aliquando cultum erga nonnullos errore populi inductum sustulerunt, ut S. Martinus Turonensis Sulpicio Severo teste in ejus Vita cap. 11, S. Anselmus epist. lib. 3, ep. 51, aliique a Lupo laudati in not. ad IV. Conc. Rhem. S. Leon. IX.

(109. Cultum hunc publicum jure suo Episcopi Martyribus vindicatis, et Confessoribus approbatis in suis diocesis decernebant, initio quidem memoriis ac aris erectis; deinde vero corporis elevatione, quam tamen gradatim plerumque factam fuisse discimus ex Gregorio Turoensi de glor. Confess. c. 52. Hic tamen cultus, ut docet Benedictus XIV. de Beat. et Canon. lib. 1, cap. 6, n. 9, melius dicitur Beatificatio, quam particularis Canonizatio, ut quæ intra unius diocesis fines contineretur, accedente porro aliorum Episcoporum approbatione, summique Pontificis expresso, vel tacito consensu idem hic cultus Canonizationis rationem obtinebat. Bellarminus de SS. Beatif. l. 1, c. 8. Nempe a primis Ecclesiæ sæculis ad extremos Alexandri III annos in cultu



Martyribus, et Confessoribus Ecclesiae proponendo Romani Pontificis auctoritatem exempla docent ab eodem Benedicto XIV. congesta lib. 1, cap. 7 et 8, Vide etiam dicta supra ab Auctore num. 16, seq.

(110. Dixi ad extremos Alexandri III annos. Nam ad hosce annos rejiciendam (non autem ad primos, et consequentes, quibus Alexander III. magnis persecutionum, et schismatis fluctibus exagitatus alia cogitare debuit) hujus Pontificis annos Decretalem epistolam cap. *Audivimus* redditam spectare multa suadent, quae ab eruditissimo viro Emanuele de Azevedo nuper proposita accepimus Exercitationum selectarum P. II, Exercit. 38, n. 22, seqq. Porro licet Alexander ea Decretali jus beatificandi, et canonizandi Romano Pontifici vel primus reservavit, vel antiquiore aeo jam reservatum confirmavit (qua de re Auctor num. 18.) hocce tamen Decretum non usque adeo religiose ab Episcopis servatum fuit. Innovavit illud quadraginta post annos Innocent III, tit. de Reliq. et Venerat. Sanctor. « Et neque tunc, inquit Papebrochius in Propyleo Maii diss. 20, putaverunt Episcopi sublatam sibi facultatem circa inferioris ordinis cultum, quem Beatorum dicimus, modo ab Officio, et Missa abstineretur. » Sed tandem litem omnem Urbanus VIII a. 1625, et 1634 diremit Decretis supra ab auctore recitatis.

(111. Pauca nunc de Reliquiis addemus. Harum vero nomine intelligimus 1. omnia quae de Sanctis in his terris supersunt, corpora, membra, cineres. 2. Quidquid ad eos vel vivos, vel mortuos pertinet. 3. Olea aut ab illorum corporibus promanantia, cujusmodi oleum fuit adhuc saeculo sexto Heraclae profuens e corpore S. Glyceriae Martyris apud Bolland. ad d. 13. Maji p. 193, et etiamnum vel medios inter Protestantibus Eystadii ex corpor. S. Walburgae copiose dimanans, aut ex lampadibus ad Sanctorum Reliquias ardentibus excepta, qualia fuisse olea, quae ex omnibus fere Sanctorum Romae tunc insigniorum Reliquiis S. Gregorius M. ad Theodelindam misit, Mabillonius conjecit de cultu Sanctor. ignotor. num. 19, 4, brandea, seu pannos, qui Sacra Lipsana contigerunt: vide eundem S. Gregorium M. lib. 4, ep. 30, 5. « pulverem » ut cum Gregorio Nysseno loquar homil. de S. Theodoro, « Quo conditorium, ubi corpus martyris (sive alterius cujusque Sancti) quiescit oblitum est. »

(112. Semper in Ecclesia cultus reliquiis

#### CURÁ, CURATOR.

Vide verb. TUTELA, TUTOR.

#### CUSTODES

CONDUCTI AD IMPEDIENDA DAMNA.

Vide verb. LOCATIO num. 10. 11. et verb. RESTITUTIO, art. num. 70. 71.

#### DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS JESU.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

#### SUMMARIUM.

1. De origine festivitatis et cultus Cordis Jesu. —
2. Cultus Cordis Jesu, uti ab Apostolica Sede appro-

batus, est omni Superstitionis labe immunis. — 3. De Objecto cultus Cordis Jesu. — 4. De genere cultus Cordis. — 5. De motivis ejus cultus.

hisce Sanctorum impensus est. Missis, quos indicavimus, Auctoribus, unus sufficiat Jo. Chrysostomus, qui homil. in S. Juvent. de Sanctis ita loquitur: « Idcirco saepe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, ut inde aliquam benedictionem assequamur. Etenim sicut milites vulnera, quae in praeliis sibi inflata sunt monstrantes, fidenter loquuntur: ita et illi manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quaecumque voluerint, apud Regem caelorum impetrare possunt. » Ne vero Protestantes cum Vigilantio eorum duce, Deo propterea a nobis injuriam irrogari cavillentur, audiant egregium nostrum dogmatis interpretem, et vindicem S. Hieronymum ep. 27, ad Riparium Hispanum. « Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres, adoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. »

(113. Quantum vero Ecclesiae studium semper fuerit, ne falsae Reliquiae publico fidelium cultui proponerentur, multis exsequitur post Ferrandum in disquisit. Reliq. Trombellius Diss. 8. cap. 15. seqq. De Martyribus, quorum corpora e Romanis praesertim caemeteriis eruuntur, aliqua fortassis suboriri dubitatio posset. Equidem, ut in hymno X de S. Hippolyto Prudentius cecinit:

Plurima litterulis signata sepulera loquuntur.  
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Prodeunt tamen persaepe corpora nullis inscripta nominibus, ignotique Sancti. De his egerat Mabillonius in epistola de cultu Sanctorum ignotorum: verum, non omnibus se probavit. Equidem cautione, et circumspeditione maxima in his utendum, ut Gerbertus monuit, comprobavitque in princip. Theol. Liturg., Sect. 2, cap. 4, § 57. Sed licet effossa Romae corpora nomine carent, praesto tamen certissima indicia sunt, unde an Martyrum sint, dignoscatur, instrumenta martyrii vel tumulo insculpta, vel ad tumulum apposita, veluti scorpiones, unguulae plumbatae, vela, lineaeque vestes sanguine imbutae, et in sepulcris conclusa; cumprimis vero ampullae a Martyribus fuso sanguine plenae, atque in defunctorum oculis positae, de quibus praeter Aringhium, Boldettum, et Blanchinum ad section. 28 Anastasii, tom. 2, pag. 244. eruditissime egit Cl. P. Antonius Maria Lupius in egregia de S. Severae Martyris epitaphio commentatione.

(1. Cultus Cordis Jesu, prout ab Apostolica sede probatus est, originem sumpsisse videtur Pontificiis concessionibus Officii Plagarum, aliorumque dominicae passionis instrumentorum. Cum enim fideles, qui semper amore flagrabant erga Cor Jesu, pioque affectu erga illud ferebantur, vidissent Officia concedi in honorem plagarum, sanguinis ac vulnerum Christi Domini, eam facultatem petere coeperunt pro Corde Jesu. Sane anno 1696, in favorem Monialium Visitationis Beatissimae Virginis, illam facultatem postulavit Maria Angliae Regina. Item Rex Poloniae enixius proisdem monialibus, et Episcopi Cracoviensis et Massiliensis humiliter Romanum Antistitem supplicarunt pro concessione Officii cum Missa propria in honorem sanctissimi Cordis Jesu. Postulator hujus concessionis erat pius doctusque P. Joseph de Gallifet S. J. qui Romae 1726. librum edidit, cujus titulus: « De cultu sacrosancti cordis Dei ac D. N. J. C. in variis Christiani orbis provinciis propagato. » Propagationem devotionis istius haud parum adjuvit alius e societate Jesu Presbyter, Claudius, inquam, Le Colombiere, qui scripsit manu propria revelationem Venerabili Margaritae a Christo Domino factam, et in qua sic legimus: « A te requiro, inquit Dominus, ut feria sexta, quae post octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata. » Post hoc magis enixe renovata est instantia pro concessione Officii et Missae Sanctissimi Cordis Jesu. Sane devotio erga Cor adeo celeriter post hanc privatam, uti fertur, revelationem per totum mundum est propagata, ut evidens fuerit, digitum Dei adfuisse. Plures vero Romani Pontifices istam devotionem Indulgentiis cumularunt. Clemens XII. concessit anno 1733. Confraternitati Romae institutae facultatem celebrandi festum SS. Cordis Jesu; Clemens vero XIII. Pontificia auctoritate approbavit cultum erga SS. Cor Jesu, approbando scilicet decretum a S. R. C. die 6 Feb. 1745. editum, in quo officium cum missa propria in honorem SS. Cordis fuit approbatum; et anno sequenti die 19 Febr. 1766. idem Clemens permisit Monialibus S. Benedicti in Regno Neapolitano degentibus facultatem recitandi Officium SS. Cordis ad normam Breviarii redactum, necnon in earum ecclesiis ejusdem Missam celebrari a Sacerdotibus confluentibus. Hoc decretum S. R. C. sigillum S. Mariae Card. Feroni. Praefecti gerit.

(2. Pius vero VI. in Constitut. *Auctorem fidei* ad propos. 62. Synodi Pistoriensis, declarat omni superstitionis labe immunem esse cultum Cordis Jesu: « Doctrina, inquit, quae devotionem erga SS. Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (Synodus) velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica sede probata, falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam sedem injuriosa; » Accedit censura in propositionem 63 lata: « Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit

FERRAR. II.

(Synodus), quod non advertant Sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a Divinitate, adorari non posse cultu patriae. Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel praecisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro, captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa. »

(3. Objectum hujus cultus est Cor Jesu, nempe Cor Physicum, carneum personae Verbi incarnati. Romani enim Pontifices illum approbarunt cultum, quem fideles petierunt; quique erat cultus Cordis proprie sumpti. Item S. Congregatio illam solum cultum approbavit, qui diu in Ecclesia viguit. Dicit enim S. R. C. decretum, « simulque intelligens hujus officii et Missae celebratione non aliud agi, quam *ampliari* cultum jam institutum. » At quinam cultus fuerat receptus? respondit Blasius, « Cultus Cordis carnalis Jesu non nudius tertius, sed saeculo superiore.... duxit exordium. » Demum quodnam sit objectum hujus cultus colligitur ex censura Pii VI in Propos. 63. Synodi Pistoriensis. Ex ipsa enim patet, fideles adorare *Cor personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est*. Ne quis vero calumnia neoterici hominis (Grégoire, *Hist. des sectes religieuses*) a cultu et devotione Cordis Jesu impediatur, nonnulla notanda veniunt. Ex hactenus dictis liquet, cultum Cordis Jesu uti ab Apostolica sede approbatus fuit, esse omni superstitionis labe immunem. Itidemque objectum hujus cultus esse Cor personae Verbi incarnati; et per consequens cultum esse *supremum*. (4. Terminus quippe ejus est persona infinita, a qua Cor Jesu separari nequit. Et sic eodem modo adorandum est cor Jesu, quo ejus sacrosancta humanitas adoratur; sicut enim Christi humanitas supremo adoratur cultu, ob hypostaticam unionem inter divinam et humanam naturam. Quae quidem unio immediate facta est cum tota humana natura in *Concreto* spectata, et cum omnibus suis partibus; nec considerari potest Christi humanitas existens sine persona Verbi a qua *suppositur*, uti loquitur Damascenus. Ergo nulla est formido adorandi Cor Jesu, sicut nulla est formido adorandi ejus humanitatem. Ratio enim *formalis* utriusque Cultus est eadem, unio nimirum hypostatica, qua fit ut una eademque sit duarum naturarum subsistentia et personalitas. Si ergo Cultus humanitatis non est *materialis*, neque cultus Cordis Jesu; et sic non nisi *injuriose* cultores Cordis Jesu a Gregorio accusantur de Cultu Materiali. Item sequitur Pistoriensis Synodi calumniam esse dicentis, per cultum Cordis duplicem induci cultum: cum ex dictis liquet, una adoratione coli Cor divini Verbi incarnati, seu rectius personam Christi in Corde reali physico. Demum falsum est atque absurdum, per cultum Cordis Jesu sequi, cultum Dei esse secundarium, ac si distingui